



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1758

Titulus III. De Sacramento Confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

TITULUS III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Conf. Decretal. lib. 1. tit. 15. lib.

3. tit. 44.

§. 204.

PER *Confirmationem* hoc loco intel- *Sacramen-*
ligitur Sacramentum a Christo *ti Confir-*
institutum, quo baptizati corroborationis
rantur ad Fidem firmiter tenendam
& fortiter profitendam. Quod sit
verum novæ Legis Sacramentum,
constat ex Sacra Scriptura 93.); ex
Traditione: ex perpetua praxi Eccle-
siæ: ex Conciliis & SS. Patribus;
prout fuse deducunt Theologi Dog-
matici & Polemici.

§. 205.

tibus dari solita, agit JOSEPHUS VICE-
COMES observat. Eccles. Vol. I. lib. 4.
c. 2.

93.) Act. VIII. ubi Apostoli per cere-
moniam sacram a Baptismo distinctam, quæ
vocatur ibi *Impositio manuum*, adjunctis
certis verbis sacris, contulerunt baptiza-
tis Spiritum Sanctum, quo nomine potissi-
mum significatur Gratia sanctificans.

Materia

§. 205. *Materia Confirmationis* ut variis Theologorum opinionibus æqualiter satisfiat, potest dici *manuum impositio & Chrisma*, seu Unguentum ex oleo olivarum & balsamo confectum 94.), & ab Episcopo benedictum. Siquis per errorem solo oleo fuerit delinitus, nihil iterandum esse dicit Innocentius III. *caute supplendum, quod incaute fuerit prætermissum* 95.). *Chrisma* autem non benedictum in consideratione Theologica substantialiter a benedicto differre censetur in ordine ad hoc Sacramentum administrandum: alii tamen existimant, consecrationem præcedere debere, non quidem necessitate Sacramenti: sed tamen necessitate præcepti Divini.

§. 206.

94.) C. un. de Sacr. Unct.

95.) C. I. de Sacram. non iter. Ex hoc textu concludunt multi, valide administrari Confirmationem adhibito solo oleo: aliqui tenent, invalide conferri Sacramentum hoc modo; INNOCENTIUM vero voluisse, ut ceremoniæ accidentales non iterentur, sed suppleatur ipsum Sacramentum adhibito Chrismate cum debita forma, privatim tamen ad vitandum scandalum. Vid. P. ANTOINE Theol. tom. 5. tr. de Sacram. Confir. q. 2. Bosco Theol. Sacram. p. I. disp. 3. sect. 1.

De Confirmatione. 253

§. 206. *Proxima Materia est Unctio Proxima:*
Chrismatis in fronte baptizati, illustriori scilicet parte corporis, ut Christianum nomen ac Religionem coram omnibus præferendam esse moneatur. Fit autem Unctio in modum Crucis 96.), digito pollice Episcopi: & tali ratione fit simul *manus impositio* 97.); dum Episcopus tincto pollice signat frontem confirmandi, extensa superiori manus parte supra illius caput. Sic exprimentur omnia, quæ tradit TERTULLIANUS 98.): *Caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniat: caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.*

§. 207.

96.) Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aque, ex qua regenerantur, sive Oleo, quo Chrismate ungentur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. S. AUGUST. tract. 118. in JOAN.

97.) Per frontis Chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio. C. un. de Sacra Unct. Autor operis de Re Sacramentaria lib. 3. quæst. 3. c. 3. §. 1. censet, solam illam manus impositionem, quæ unctiōni prævia est, Confirmationis essentiam constituere.

98.) De Resurrect. Carn. c. 8.

Forma :

§. 207. *Forma Confirmationis* in
Ecclesia Latina hæc est: *Signo te* (signum)
Crucis, & confirmo te Chrismate salutis
in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus
Sancti. Apud Græcos consistit in his
verbis: Signaculum donationis Spiritus
Sancti. Supple, tibi impenditur. Mi-
rum non est, si hæ formulæ non in-
veniantur descriptæ in vetustissimis
monumentis: adscribendum id est
exactissimæ arcani disciplinæ. Unde
etiam INNOCENTIUS I. in Episto-
la ad Decentium Eugubinum Episco-
pum proferre hanc formam noluit:
Verba vero, inquit, dicere non possum,
ne magis prodere videar, quam ad con-
sultationem respondere 99.)

Effectus :)

§. 208. *Effectus Confirmationis est*
I. Characteris impressio 100.) (I. Aug-
mentum Gratiaë sanctificantis 1.)
qua

99.) In Epistol. Decretalibus Summor. Pon-

tif. tom. I. p. 2. Epist. 29. INNOCENTII

100.) *Unxit nos Deus & signavit nos, &*
dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

2. Cor. I. 21. 22.

x.) Per accidens potest hoc Sacramentum
etiam producere primam gratiam, si ali-
quis adultus in peccato existens, cujus con-
scientiam non habet; vel etiam non perfectè
contritus accedat, juxta S. THOMAM
p. q. 77. art. 7. ad 2.

qua homo corroboratur ad Fidem fortiter profitendam, cum jure ad specialia in hunc finem auxilia. Hodie cum persecutiones cruentæ in nostris provinciis cessent, roborari Fideles hoc Sacramento debent ad moralis doctrinæ Christianæ integritatem propugnandam contra respectus humanos, mundi amatores, inanis gloriæ sectatores, nimia corporis oblectamenta & pravas consuetudines, quibus hoc tempore plures ignave cedunt, quam olim cefferint acerbissimis tormentis.

§. 209. Omnes & soli Baptizati *Subjectum*: sunt capaces Confirmationis. Olim mox post Baptismum impendebatur etiam parvulis, quod in Ecclesia Orientali usque hodie servatur 2.):
in

2.) Idem servandum esset, si copia Episcopi habeatur, in Ecclesia Occidentali circa pueros periculose ægrotantes, quos sibi denuntiari olim jussit S. CAROLUS BORROMÆUS part. 2. Act. Eccl. Mediol. pag. 232. & PROSPER LAMBERTINUS Archiepiscopus Bononiensis Instit. Eccl. VI. pag. 24. cum ex doctrina S. THOMÆ p. 3. q. 72. art. 8. ad 4. etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequantur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.

in Occidentali vero expectari solent
 usus rationis, ut confirmandi fe-
 ventiori devotione ad illam suscipi-
 endam accedant. Unde oportet, ut
 confirmandus præcipua Christianæ
 Religionis capita, in Symbolo Apo-
 stolorum contenta, & Orationem
 Dominicam jam noverit, gratiam
 que baptismalem vel conservaverit
 vel per pœnitentiam recuperaverit
 3.) : seseque ardentiori precum
 studio ad tantum Sacramentum præ-
 parent exemplo Apostolorum, qui
 dum expectabant Spiritum Sanctum,
 perseverantes erant in Ora-
 tione & jejuniis : unde perfectæ sta-
 tis homines jejuni ad Confirmationem
 veniant 4.)

*bene dispo-
 situm :*

§. 210. Dolendum, quod Fideles
 ad hoc Sacramentum præ cæteris te-
 mere & irreverenter accedant, vaci-
 que recedant. Sicut Parochi in im-
 buendis & ad devotionem excitan-
 dis Fidelibus, præcipue pueris, ante
 Episco-

- 3.) Confessionem Sacramentalem ab illis
 qui gravis peccati se reos sciunt, ante
 Confirmationem exigunt allegati a Be-
 NEDICTO XIV. cit. Instit. VI. aliisque.
 4.) C. 6. d. 5. de Consecr. Ex Capitulum
 Herardi Turonens. ann. 858. c. 75.

Episcopi adventum omnem sollicitudinem impendere debent; ita etiam Episcopus, si ab externis signis interiorum indevoti animi habitum deprehendit, graviter eos objurgabit, vel aliquando præteribit §.). Qui ex contemptu, aut supina negligentia Sacramentum hoc suscipere omit- tit, graviter peccat, eoque magis, quo vehementior imminet persecutio adversus Fidem, Religionem Catholicam, & doctrinam Christi; aut propius instat mortis periculum: etiam extra hos casus, in quibus urget præceptum Divinum, datur obligatio Fidelium ad illud vel in re, vel in voto suscipiendum, non quidem necessitate medii, sed tamen necessitate præcepti; quod colligitur ex praxi Apostolorum & Ecclesiæ sensu 6.): cum semper urgeat illud

R Apo-

- 5.) Ita se fecisse narrat BENEDICTUS XIV. tunc Archiepiscopus Bononiensis cit. Inst. VI.
- 6.) Vid. BENEDICTUS XIV. cit. Inst. VI. & in Const. 57. de Ritibus Græcorum §. 3. tom. I. Bullar. Autor Operis de Re Sacrament. lib. 3. quæst. 8. c. 2. Etiam minoris opinionis patroni agnoscunt cum LAYMAN lib. 5. tr. 3. c. 5. n. 4. olim fuisse præceptum suscipiendi Sacramentum
- Con-

Apostolorum Principis 7.): *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quarens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* & Apostoli Pauli 8.): *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli &c.*

Minister : §. 211. Solus Episcopus est ordinarius, & ex officio *Minister* Confirmationis: simplex Sacerdos valide & licite administrat ex commissione Summi Pontificis 9.): addi tamen solet clausula, ut utatur Chrismate per Catholicum Antistitem benedicto, quamvis non desint exempla Indultu, quo simplici Sacerdoti commissa fuit a Pontifice facultas benedicendi Chrisma 10.). Episcopus opportu-
nis

Confirmationis. Istud autem præceptum hodie abolitum esse, horremus dicere.

7.) Epist. I. PETRI. V. 8. 9.

8.) Ad Ephes. VI. II.

9.) Exempla talis commissionis sunt obviam In Bullario BENEDICTI XIV. conceditur tale Indultum Principi & Abbati Campidunensi tom. 3. Const. 6. Præfecto Missinum Ægypti pro Cophtis Catholicis. ibid. Const. 30. & tom. I. Const. 129. Patri Guardiano Sancti Sepulchri Ordinis Minorum. tom. I. Const. 10.

10.) Exempla refert BENEDICTUS XIV. de Synod. Dioces. lib. 7. c. 8. n. I. Diploma EUGENII IV. concessum Commis-

nis temporibus in sua Diœcesi Sacramentum Confirmationis non administrans, haud dubie coram Deo culpam contrahit: peragit hanc functionem in Ecclesiis etiam Regularium Exemptorum II.); non tamen in aliena Diœcesi 12.): subditos autem alienæ Diœceseos passim confirmant nostri Episcopi, cum vicini Episcopi, qui ob vastitatem Diœcesium ad singulos eorum angulos difficillime accedere possunt, id libentissime permittant, & optent. Episcopus administrans hoc Sacramentum, immunis debet esse a culpa: jejunos; nisi periculosa confirmandorum infirmitas moram non patiatur 13.): adhibet Chrisma illius anni, si haberi possit: servat ritus ab Ecclesia in Pontificali præscriptos.

§. 212. Ad ritum pertinet, ut ad- *Ritus.*
R 2 hi-

- sariis Apostolicis in Bosnia refert LUCAS WADINGUS Annal. Minor. tom. II. ad ann. 1444. n. 43. Hanc facultatem suis fratribus concessam, ignorasse vel non pro legitima agnovisse videtur JOANNES Bosco Theolog. Sacramental. p. I. disp. 3. sect. I. concl. 4. n. 97.
- II.) BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. I. Const. 109. §. 6.
 12.) Conc. TRID. sess. 6. c. 5. de Reform.
 13.) C. 7. dist. 5. de Consecr.

hibeatur Patrinus, qui & ipse jam sit confirmatus, & quasi ductor ac institutor existat ad militiam Christianam: non tamen debent mares erga fœminas, nec econtra fœmina erga mares Patrini officium suscipere. Patrinus vel confirmandum manu tenens ad Episcopum adducit; vel saltem manum dextram super humerum confirmandi pariter dextrum tenet (14.). Episcopus facta unctione, leniter genas confirmati percutit, ac pacem impertit, tum *ut meminerit confirmatus, se tanquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invictum animo pro Christi nomine ferenda* (15.); tum ut ea percussione infantes memoriam habeant, se fuisse confirmatos, ne iterum confirmentur (16.). Imponi-

14.) Juxta ritum Pontificalis Romani, confirmandus, si jam sit adultior, ponit pedem suum super pedem dextrum Patrini sui.

15.) Catechismus Roman.

16.) De hac consuetudine cœdendi leviter in maxilla confirmatum, vix occurrit mentio ante DURANDUM Mimatensem Episcopum Rational. Divin. Offic. l. 6. de Sabbato Paschæ. Rubric. de Confirmat. qui vixit sæculo XIII. LAURENTIUS BERTI Theolog. lib. 32. c. 10. n. 6. testatur, ejus ceremoniæ mentionem fieri in libro manuscripto quingentorum annorum ætatem superante.

nitur nonnunquam nomen novum, vel ex devotionis affectu erga aliquem Sanctum, aut alio honesto titulo; vel si nomen confirmandi sit turpe, ridiculum aut ab avita gentilitate profectum. Patrinus candida fascia frontem obducit: & Episcopus data solemnī benedictione concionem dimittit. Olim septem dierum spatio fasciam fronti circumligatam ferebant confirmati, & interea sanctissimis pietatis operibus exercebantur: hodie languescente Fidelium virtute curari deberet, ut saltem illa dies, qua Sacramentum hoc suscipitur, pie sancteque transigatur. Dictæ vittæ in profanum usum converti nequeunt: sed potius cremari debent, & cineres in Sacrario poni: debent autem fasciolæ auferri a Sacerdote; & frons confirmati bombyce abstergi, deinde lavari.

TITULUS IV.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Conf. Decretal. lib. 3. tit. 44.

§. 213.

Divinus Servator noster per *Eucharistia*
Baptismum ad novam vitam rege-

R 3 ne-